SENTENTIA
LATA, ET PROMVLGATA
PER ADMODVM REVERENDVM DOMINVM EVSEBIVM FALCO,

Decretorum Doctorem Præpositum Sanctæ Ecclesiæ Metropolitanæ Valentinæ, in eiusque Vniversitate Iuris Pontificij Primarium Professorem, & Iuris vtriusque Censorem, & pro Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Don Ludovico Ildephonso de los Cameros, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopo Valentino, de Consilio Regiæ Maiestatis, &c. Officialem, & Auditorem Causarum Piarum, & Matrimonialium, Iudicemque Delegatum per Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Don Matthæum Saga de Bugueiro, eadem gratia Archiepiscopum Episcopum Carthaginen. de Consilio eiusdem Regiæ Maiestatis.

In causa vertente in Curia Ecclesiastica Carthaginen. super electione Canonicatus Lectoralis, & Magistralis Sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Carthaginen. inter Doctorem Don Bernardinum Garcia Campero, Collegam Collegij Maioris Conquen. & in Vniversitate Salmanticen. Liberalium Artium publico Moderatore, & Canonicum Electum ad prædictum Canonicatum, ex vna; & Doctorem Don Franciscum Parra Zamorano, Canonicum Sanctæ Ecclesiæ Almeriæ, partibus ex altera.

Valentiæ, Typis Hieronymi Vilagrasa, iuxta Molendinum de Rovella. Anno 1672.

ET Quia vacante Canonicatu Theologali, Magistrali, seu Lectorali Sanctæ Ecclesiæ Carthaginen. illius perillustres Decanus, & Canonici, vti Electores dictæ Præbendæ, constitutioni Sanctissimi Domini nostri Pontificis Alexandri VII. fœlicis recordationis, inhærendo, edicto pro rostris exposito, notam fecerunt dictæ Præbendæ vacationem, illiusque collationem in paritate vocuum celebrandam iuxta thenorem dicti Brevis, vt vulgari idiomate, hac verborum formula in edicto cavetur expressum: *Y en caso de empate, se guardarâ el tenor del Breve de la Santidad de Alexandro Septimo.* Ex quibus profluit quidam quasi contractus inter Electores, & vocatos ad opositionem, & examen pro modo assequutionis dicti Canonicatus in paritate suffragiorum. Completo, & adæquatè peracto examine, stylo, & moribus præfatæ Ecclesiæ comparato. Legitimé congregatis Electoribus ad electionem dictæ Præbendæ Theologalis processerunt, decem existentibus suffragijs in primo scrutinio, Doctor Dō Franciscus Parra Zamorano, Sanctæ Ecclesiæ Almeriæ Canonicus, quinque habuit; tria pro Doctore Don Bernardino Garcia Campero, insignis Collegij Maioris Conquen. Collega, & Liberalium Artium Professore in Regali, & Præclara Vniversitate Salamanticensi extiterunt. Postea in secundo constitit de paritate votorum. Et quia non ius, sed probatio deficiebat, declararunt Electores dicti Canonicatus, in eo electum eum qui in maiori constitutus esset ætate. Hac declaratione Capitulari stante dictus Doctor Don Bernardinus Campero comparuit coram Domino Vicario Generali Carthaginen. die trigesimo primo Ianuarij, anni millesimi sexcentesimi septuagesimi primi, exponens, quod ex decem Electoribus, qui electioni legitime congregati inter fuerunt, quinque in favorem dicti Don. Bernardini suffragia sua protulerunt; quæ vt asserit dictus Don Bernardinus sibi nota fuere ex parte Capituli dictæ Ecclesię, ad effectum, vt præfatus Don Bernardinus iure, quod ex vi memoratæ electionis ei compe-

feret, vteretur. Et quia quinque votis pro eo interessentibus (vt ipse exponit) remansit Canonicé electus, & iure adquisito ad præbendam cum exclusione dicti Don Francisci Parra, rationibus, & fundamentis, quæ protestatur exprimere. Ideò concludit; primo supplicando, vt melius ad effectum possit perducere ius, quod ex præfata electione assequutus erat, dignaretur Vicarius Generalis Carthaginensis præcipere Ioanni Lopez Clares, & Francisco Garcia Bernabe, à secretis Dominorum Decani, & Capituli, qui præfatæ electioni interfuerunt, vt dicto Don Bernardino darent transumptum fidem faciens processus ad electionem fulminati, & cum iniunctione dicti Don Francisci, extracti, & quo ad id expedirentur mandata compulsoria oportuna. Insuper asserit dictus Don Bernardinus, quod cum per ipsius comparitionem cesset extraiudicialis electio, nulla remanet apud Dominos Decanum, & Capitulum facultas in ea procedendi, quo vsque visis allegationibus per dictum Vicarium Generalem causa diffinitivo iudicio terminetur; cum iuxta Sacrum Concilium Tridentinum in prima instantia ad eum privativè cognitio pertineat; ac ideo supplicat litteras inhibitorias expediri, quibus certiorentur de memorata litte Decanus, & Capitulum, ad effectum vt nullatenus ipsa pendente aliquid innovare attentent. Secundo in eadem petitione supplicat dictus Don Bernardinus, quatenus iubeatur causæ actuario; vt declarationem ætatis dicti Don Francisci Parra prævió iuramento ab eo recipiat, & in actis causæ describat. Qua visa petitione, & vt in ea supplicatur, provissa, facta fuit apud actuarium causæ per dictum Don Franciscum Parra declaratio, & ex ea liquet, se natum die sexto Novembris, anni millesimi sexcentesimi trigesimi octavi, quæ ait ipse declarans, ex fide Baptismatis verificari, prout latius in dicta declaratione continetur. Similiter litteræ inhibitoriæ Syndico Capituli fuerunt iniunctæ. Quibus ita peractis, illud quod erat iurisdictionis voluntariæ, per existentiam legitimi contradictoris (scilicet dicti Don Bernardini Campero) effectum est contentiosé; & successivè dictus Don Franciscus Parra Zamorano coram præfacta

Vi-

Vicario Generali expoſſuit plura pro fovendo iure ſuo, in excluſionem intenſionis dicti Don Bernardini, ad aſſequutionem memoratæ Præbendæ Theologalis, prout latius in proceſſu, ad quem congrua habeatur relatio. Hiſque adimpletis, dictus Don Franciſcus Parra petitione oblata die vndecima Aprilis dicti anni milleſimi ſexenteſimi ſeptuageſimi primi, in ipſius incluſionem, & dicti Dō Bernardini excluſionem plura deducere conatur, quorum probatio, partim ex inſtrumentorum, & documentorum inſpectione, partim ex teſtium depoſitionibus dependebat. Ex contrario dictus Don Bernardinus petitione diei decimi quarti eorundem menſis, & anni, pro verificanda ipſius intentione, & demonſtrando iure, ſibi competenti, pariter plura in allegationem propoſſuit, eodemmodo ad ſui verificationem dependentia ex inſtrumentis, documentis, & teſtibus, quibus ius ad dictam Præbendam, cum excluſione præfati Don Franciſci adimplere, & planum facere contendebat. Rebus ſic ſtantibus hinc inde deductis, & allegatis, & in eorum corroborationem teſtibus productis, declarationibus factis; inſtrumentis exhibitis reſpectivè; pro eorum intentionibus demonſtrandis, fuit in cauſa concluſum; quam Illuſtriſsimus Dominus Don Matthæus Sagade Bugueiro, Archiepiſcopus, & Epiſcopus Carthaginenſis, ex cauſis ſibi bene viſis, nobis decrevit delegandam; cuius delegationi annuentes, tranſmiſſo proceſſu, in præſentia iam dictorum Don Bernardini Garcia Campero; & Don Franciſci Parra, nobis tradito, præambula noſtra acceptatione dicti mandati iuriſdictionalis, & commiſsioni Illuſtriſsimæ Dominationis inhærendo, auditis partibus, non ſemel, ſed ſæpè, ad huius cauſæ delegatæ declarationem, & pronuntiationem duximus procedendum, & cum effectu proceſsimus. Et attento, quod in Sacro Concilio Tridentino ampliſsimi Patres Conciliares decrevere, vt Parochus librum habere debeat, in quo omnia illa, quæ ad curam ſibi ſubditorum expectant, fideliter deſcribat, & annotet: ex quo colligitur, quod illi quoque, ſine vlla dubitatione ſuper illis, de quibus in libro, fides adhibenda ſit, nam fruſtra onus regiſtrandi Parocho imponeretur

retur sanctione conciliari, nisi quoque apertissimè fidem apud omnes publicè faceret, ac plené probaret, quibus communiter obtinuit ætatem legitimê, & concludentér probari per libros Plebanorum, & Curatorum, vbi nomina Baptizatorum describuntur, & hanc viam probandi esse meliorem, & paratiorem, qua possit probari cuiusque ætas, quasi exprofessione parentum apud acta publica, extra litem est; ac ideo ætatem probari concludenter ex partita libri Baptismatis extracta solemnitatibus, & conditionibus à iure desideratis, non deficientibus; & cum constet Doctorem Don Bernardinum Campero, Collegij Maioris Conchens. Collegam, & in Regali semper laudanda, & non satis laudata Vniversitate Salmatic̃ensi, Liberalium Artium Cathedræ Moderatorem, ad verificandam suam ætatem coram Domino Officiali, & Vicario Generali Sanctæ Ecclesiæ Carthaginen. citato priùs contradictore dicto Don Francisco Parra Zamorano, præcedente mandato compulsorio, fidem Baptismatis exhibuisse, ex qua apparet dictum Don Bernardinum baptizatum die vigesimo secundo Februarij, anni millesimi sexcentesimi trigesimi octavi, vt continetur in partita libri Baptismatis, in quo solent describi nomina baptizatorũ Parochialis Carthaginen. qui reperiebatur penes eiusdem Ecclesiæ Parochum, sicque constat, prout à iure constare debet, ætatem dicti Don Bernardini Campero, tempore electionis ad dictam Præbendam Theologalem, contentam esse, numero triginta trium annorum. Huic probationi accedit alia, consistens in attestatione Ioannis Cerdan Pardo, Notarij, fidem facientis præfatæ partitæ extractæ ex dicto libro Baptismatis, quæ fides legalizata est trium tabellionum signis, & constat fuisse descriptam non modico temporis intervallo ante vacationem Præbendæ, & electionem Capituli, tertio, scilicet, Aprilis anni millesimi sexcentesimi septuagesimi. Ex quo irrefragabile nascitur argumentum legitimæ ætatis Don Bernardini, & certitudinis dictæ partitæ, cum fuerit extracta tempore non suspecto, & quo casus occurrentis electionis divinari nequaquam poterat, quæ demonstrant contra dictam attestationem tabellionis

 nullam

nullam superesse causam suspitionis allegabilem. Progre-
ditur his probationibus non contentus dictus Don Ber-
nardinus Campero, & pro implenda ætate, quam asserit, &
vt abundantiori probatione de ea constet, eo modo, quo
ab eo deducta, & allegata est, testamentum matris suæ ex-
hibet, quod conditum fuit apud Petrum de Torres, publi-
cum Notarium, die septimo Aprilis, anni millesimi sex-
centesimi trigesimi octavi, in quo apparet hæres institutus à
matre dictus Don Bernardinus, quod per rerum naturam
non poterat evenire, nisi præambula, & supposita ex stentia
Don Bernardini in humanis, & hunc modum demonstran-
di ætatem & filiationem esse efficatiorem, & aptiorem, ne-
mo est qui nesciat. Fovetur amplius intentio Don Bernar-
dini ex attestatione Collegij Maioris Conchensis, expe-
dita Salmanticæ, subscripta à Rectore, & Conciliarijs
memorati Collegij, & cum solemnitatibus à iure requisitis
extracta, & cum eisdem in processu exhibita, ex qua con-
stat, quod dictus Don Bernardinus in matriculam Colle-
garum dicti Collegij fuit descriptus, & clamidis possessio-
nem adeptus anno millesimo sexcentesimo sexagesimo ter-
tio, nulla prævia ad id dispensatione suffultus, & ex fide tūc
temporis exhibita apparebat ipsum plusquam viginti qua-
tuor annos ante ingressum in Collegium adimplevisse. Cui
testimonio, tot solemnitatibus roborato, & iuridice extra-
cto, non modica deferenda est fides, & partita sic attestata
à præfato Collegio Conchen. indubiam reddit ætatis pro-
bationem dicti Don Bernardini, quia patet multo ante oc-
currentem littem eius extractionem contigisse, & sic tem-
pore quo nulla potest vereri suspicio exclusiva authorita-
tis, certitudinis, & legalitatis fidei dicti Collegij, præveniē-
do futurum eventum totaliter incertum. Præfata proba-
tionum genera acritèr, & nervosè contendit dictus Don
Franciscus Parra Zamorano infringere, non nulla in oppo-
sitionem memoratæ probationis deducendo. Prima oppo-
sitio infertur ex quadam attestatione dicti Ioannis Cerdan
Pardo fidem faciente de alia partita ex dicto libro Baptis-
matis levata, ex qua videtur probari dictum Don Bernar-
dinum fuisse baptizatum die vigesimo septimo Maij, anni

mille-

millesimi sexcentesimi quadrāgesimi secundi, quām attestationem fuisse extractam (simul cum epistola Illustrissimi Domini Don Antonij de Benavides missa ad Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Episcopum Carthaginen. quoad effectum vt dispensaret cum dicto Don Bernardino Campero in interstitijs, & concederet litteras dimissorias, quibus posset ad Diaconatus, & Presbyteratus ordines promoveri) ex Archivo publico Episcopali Carthaginen, & pro parte dicti Don Bernardini Campero traditam Ginesio Olivares tabellioni Apostolico, & ex numero Curiæ Ecclesiasticæ Carthaginen. ipse Ginesius attestatur, cui fidei accedit legalizatio triū Notariorū signis constans. Ex quibus infert dictus Don Franciscus Parra partitam exhibitam in favorem dicti Don Bernardini, & à dicto Ioanne Cerdan traditam, & attestatam falsitatis suspitione laborare, quæ in civilibus pro falsitate habetur. Sed quidquid sit de legalizatione, quoad ritum, & an hæc de vno in alium, vel plures dies valeat differri, huiusmodi allegatio deviat à iure: Quia in concursu instrumentorum ad invicem pugnantium, vt incompossibilitas, & repugnantia elidantur, & veritas appareat, est legalis recursus ad matricem, ex qua proponuntur extracta similia instrumenta, & in præsentiarum cum præfata partita demonstretur levata ex libro baptizatorum, qui habetur pro matrice, & ibi per oculorum inspectionem non comperiatur dicto anno millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, & ex contrario partita exhibita in favorem dicti Don Bernardini, in præfato libro, tamquam in matrice habeatur expressa, per rei evidentiam sequitur in hoc concursu attestationum vllam habendam esse rationem partitæ attestatæ à dicto Ioanne Cerdan Pardo, de anno millesimo sexcentesimo quadragesimo [redacted]o, cū non constet de attestato, & relato, quibus, præter alias, non levis falsitatis deducitur suspicio adversus partitam anni millesimi sexcentesimi quadragesimi secundi. Nec facit, quod etiam si realiter nō appareat de existentia dictæ partitæ, constat illam fuisse substractam ex dicto libro Baptismatis, ob folei deficientiam, incongruitatem, & non cohærentiam aliorum folio-

rum,

rum, ex intermissione Baptismatum; ex quibus, argumento, præsumptione, & ratiocinatione contendit dictus Don Franciscus Parra convincere existentiam realem partitæ foventis intentionem dicti Don Bernardini, quod longé distat à regulis vtriusque Iurisprudentiæ; & trita, & nota est illa, quod præsumptiones debēt cedere veritati; & ad illud quod à dicto Don Francisco allegatur de incohærentia foliorum, recenti, & in ordinata eorum numeratione, respondet iudicium peritorum attestantium eam esse veram, & legitimam. Nec etiam potest dictus Don Franciscus iuvari memorata illa attestatione Ginesij Olivares in exclusionem dicti Don Bernardini, quia continet visibile additionis vitium, ex adiectione lineæ contentæ in fine paginę, quæ evidenter demonstratur, quia charta vetustissima videtur, & sic apparet recentior scriptura, tamquam non facta tempore descriptæ attestationis. Aliud suspitionis vitium non contemnendum includit prælibata attestatio, deprehensum, eo quod sic addita linea, imperfectum continet sensum oratio in attestatione expressa, ipsa vero detracta, legitimum, & congruum amplectitur, vt ex contextura attestationis non obscure liquet. Quibus omnibus huc vsque perpensis, pro enervanda dicta attestatione anni millesimi sexcentesimi quadragesimi secundi, & fovenda fide de anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, conferunt declarationes dicti Ioannis Cerdan in favorem attestationis à Don Bernardino exhibitæ, in quarum exclusionem, in lite nihil relevans est deductum. Et an sit reperta dicta attestatio in Archivo publico Episcopali, vel ne, consulto omittimus, cum etiam si id esset concludenter probatum, & interdum Archivum publicum det robur scripturæ non authenticæ, potest esse reperta in archivo, & de falso suspecta, quo casu fid[illegible] datur, quia deficit in substantialibus, & sic per necesse non concludit allegatio. Nec declaratio facta in articulo mortis à dicto Ginesio Olivares, pro sustinenda validitate attestationis, est allegabilis, cum in præfatis vitijs sit deprehensa attestatio, preterquam non constat dictum Ginesium, tempore declarationis, in dicto articulo mortis extitisse constitutum, & præfatus

tūs articulus nihil roboris addit declarationi, quandō aliunde de veritate constat, & de inconstantia, vacilitate, & varietatē dicti Ginesij, opposita, & contraria dicentis (teste processu.) Nec ex hoc quod dictus Don Franciscus vtatur hac attestatione notabiliter suspectā, infertur læsio ingenuitatis, bonæ famæ, & existimationis illius, quia certum est hanc attestationem non fuisse penes eum, imò ab alio ipsi traditam, vnde consurgit, illæsa existimatione prædicta attestatione vsum fuisse. Non leviter contendit excludere, dictus Don Franciscus Parra, Don Bernardinum deducēdo aliqua circa librum, & partitam de anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, asserendo incomprobationem suspicionis falsitatis libri, & partitæ, illum continere quinternos, quorum vnus non est similis alteri, vtputa, quia vnus continet plures chartas, quam alter, & est vnus vno, alter vero alio modo ligatus, & consutus, pariterque folium in eo reperiri de per se, non compaginatum cum alijs, foliationem etiam libri esse resenter factā, & de illius emendatione constare, & plurimis cum veritate incompossibilibus; & ad partitam decendendo, ait ipsam esse descriptam in fine paginæ, continere rasuram, incisionem, diversitatem literarum, & attramenti, quæ omnia tùm ex oculorum inspectione, tùm experitorum iudicio, & eorum declarationibus incomperto esse prætendit. Cæterum oppositum continetur peritorum iudicio declarantium ad instantiam dicti Don Bernardini, nec quod eliciunt periti attestantes, ad instantiam dicti Don Francisci continet aliquid in substantialibus contrarium, & incompatibile cum indicio aliorum peritorum, quippè omnes in legitima numeratione foliorū, quinternorum ligamine, & in cunctis ad veram libri consistētiam conferentibus conveniunt, & si talis qualis apparet diversio, non est substantialitèr conferens, ad hoc vt dictus baptismatum liber, & partita de anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo in ipso reperta aliquam suspitionis falsitatem patiatur, & præter peritorum iudicium pro vtraque parte attestantium, quo comprobatur defectum folij non inducere suspicionem in librum, & esse compatibilem cum ordinata illius numeratione, concludit illud, quod per ocularem inspectionem cavetur in dicto libro, foleo ducentisimo pri-

mo;

mo, pagina secūnda, vbi ad oculūm patet defectus folei, & tamen partitæ baptismatum sunt inter se cohærentes, & consequutivè, vt patet ex vltima dicti folei ducentesimi primi, quæ fuit scripta die vigesimo primo Februarij, anni millesimi sexcentesimi quadragesimi secūdi, & prima subsequens alterius folei, scilicet, ducentesimi secundi fuit facta die vigesimo secundo eorundem mensis, & anni, quibus fit defectum folei in occurrenti non inducere falsitatis suspicionem. Et ex abundanti dicitur, quod tunc foleum repertum per se, non foleatum, neque compaginatum cum alijs inducit suspicionem falsi, quando illud de quo quæritur in ipso foleo conscriptum apparet, quod potiori ratione in præsenti debet vendicare locum supposita peritorum declaratione. Deinde non opponitur memorata regula quia loquitur foleo de per se reperto non foleato, neque compaginato, hic autem ex libri inspectione, & peritorum iudicio, folea, non obstante defectu folei de per se, reperiuntur legitimé, & verè ordinata, & compaginata, quæ excludunt omnem falsitatis suspicionem; & probant regulam non conferre; nec scriptam esse partitam in fine paginæ, relevat, quia nonnullæ in eodem libro conformi methodo reperiuntur exaratæ, atque adeo, nec diversitas attramenti, nec rasura, nec incissio in parte non suspecta, & substantiali, possunt arguere falsitatis suspicionem in partita, quia hæc, aliis non adjunctis neutiquam concludunt invaliditatem partitæ. Non his solum intendit dictus Don Franciscus Parra impugnare præfatam partitam, sed aliam præsumptionem, & coniecturam adducit, suo videri, comprobatam quodam testimonio Officialium Regalium triremium Hispaniarum, quo putat probare præsumptionem, qua concludenter in hac materia suspicionis falsitatis partitæ enervet robur illius exhibitæ à Don Bernardino, verificando Don Bernardinum Ibarguen, compatrem dicti Baptismatis in partita expressum, tempore illo non extitisse in Civitate Carthaginen. Sed omisso, an hoc testimonium sic extractū, contineat nullitatem, aut ne, occasione decreti de non levando simili testimonio, nisi cum iniunctione Don Bernardini, vel ab eo nominatorum; ex inspectione testimonij dictorum Officialium constat non esse formalissimê adstrictum perso-

næ dicti Don Bernardini Ibarguen, sed includere rem longe distinctam, scilicet, adventum, & existentiam triremium Hispaniarum in portu Civitatis Carthaginen. vbi dicebatur deservire Regiæ Maiestati dictus Don Bernardinus Ibarguen, & perconsequens, cum præfatum testimonium sit nimis vagè conceptum, militat in hac specie brocardica regula, possibili veritate inesse posita, nulla sequitur necessario falsitas; nec ad rem facit huius regulæ limitatio meliori censura recepta, scilicet, quod limitetur regula, quando incontrarium cōtra amplitudinem possibilitatis adsunt præsumptiones, nā in præsentiarum nullæ extant, quæ valeant dictæ generalitati detrahære. Testamento exhibito Mariæ Ros matris dicti Dō Bernardini Campero, quo probat se iam natū die septimo Aprilis, anni millesimi sexcentesimi trigesimi octavi, opponit Don Franciscus Parra huiusmodi testamentum nullam fidem facere. Primo, quia non constat de legalitate Antonij de Torres Notarij, attestantis ipsum fuisse extractum ex protocollis Petri de Torres, fratris sui, apud quem fuit testamentum conditum. Sed hæc oppositio viribus caret, quia sufficienter constat de legalitate, & tabellionatu dictorum Petri, & Antonij de Torres, fratrum, ex depositione testium ad id per Don Bernardinum productorum. Deinde allegat falsitatem contra præfatum testamentum, ipsumque de falso arguit; deprehensa suspicione falsitatis, ob defectum recognitionis, & exhibitionis protocolli, & ex eo, quia ex cōtextura testamenti patet dictam testatricem præteriisse, & nominatim non exhæredasse inter alios legitimos filios suos Domnam Catharinam filiam natu maiorem dicto Don Bernardino, quo contendit verificari falsitatem dicti testamenti, quia etiam ad testamenta fœminarum noviori iure extenditur principale ius instituendi, vel exhærendi filios sub decreto nullitatis, si non ita fuerit conditum testamentum, & cum contra instrumenta, quæ carent iuris solemnitatibus non levis insurgat præsumptio suspicionis falsitatis; inde necessario videtur dicendum dictum testamentum vicium visibile falsitatis continere. Sed ista non tanti ponderis sunt, vt valeant infringere regulam de non exhibendo protocollo Notarij, sed semper debere esse penes eum, ipsi pœna imposita, si aliter,

ter ab eo adimpletum fuerit. Nec aliqua, quæ videntur limitare hanc generalitatem militant, in occurrenti, quia procedunt in longe diverso casu, nempè quando instrumentum origionale productum est in actis, ex cuius seriè aliqua falsitas; seu inverisimilitudo, aut repugnantia cum alio deprehenditur, in qua specie verificatur, quod dicitur, suspicionem adversus instrumentum militantem, iunctam cum falsi redargutione, nisi per protocollum Notarij purgari non posse, quod in præsenti non potest procedere; quia exhibitum instrumentum non concurrit cum alio, ex quo valeat redargui falsitas, ob repugnantiam, & inverisimilitudinem. Alio colore infert dictus Don Franciscus suspicionem falsitatis testamenti ex eo quia ex retentione nimia, aut occultatione protocolli, vel instrumenti originalis vehemens insurgit falsitatis præsumptio, tam contra Notarium, coram quo fuit confectum, quàm contra litigatorem, & quod hæc falsitatis suspicio ad hoc vt Iudex fidem instrumento adhibere non teneatur, positque probationem ex eo procedentem rejicere, æque operatur, ac illæ, quæ ex vitio, & suspicione patenti procedunt. Hæc namque allegatio non est ère, tùm quia, quæstio non est de instrumento ab eodem Notario confecto; tùm etiam, quia non constat de occultatione, & retentione, prout à iure constare debet. Nec vitium præteritionis potens est oppugnare fidem dicti testamenti, quia, quod vulgariter dicitur de suspicione falsitatis instrumenti carentis solemnitatibus à iure, præcisé, & sine dubio est exaudiendum de solemnitatibus ritualibus observandis à tabellionibus in testamentorum receptione, & hoc est, quod ad literam habetur in edictali lege pro Don Francisco allegata, non vero de solemnitatibus pro forma adimplendis cum decreto irritanti à testamentorum conditoribus, quod naturali ratione procedit, nam durum esset non posse tabelliones pœnam falsitatis evitare ex inobservatione solemnitatum testatorum, pœnas namque certos habere Auctores, & non ex facto alieno dependere explorati iuris est, qua ratione quando tabelliones notantur tamquam falsi ob defectum solemnitatis testamentorum, in ea solum specie potest procedere, quando non observant etiam per errorem solemnitates ab ipsis solum adimplen-

plen-

plēdas, & non ex aliorum arbitrio, & adimplemento dependentes. His accedit, quod allegatio præteritionis dictæ Dominæ Catharinæ nullatenus potest concludere falsitatis suspicionem, nam longe in iure distat quem se præteritum allegare, aut falsum testamentum dicere, hoc vltimum ad fidei pertinet quæstionem, primum ad iuris solemnitatem tamquam ad extremum longe discretum. Vnde non incongruè dicitur; ex testamento nullo, probari voluntatem testatoris, saltem iure naturali suffultam, licet solemnitatibus iuris non vestitam; & hæc sic concepta licet non civilitér, naturalitèr facit sustineri illud, quod ab ea relictum, vel expressum fuerit; attenta magis animi ratione, quam nimia iuris scrupulositate, ex quibus irrefragabili illatione sequitur, nominationem illam dicti Don Bernardini in præfato testamento efficacem esse ad probandam existentiam dicti Don Bernardini tempore conditi testamenti; quæ valdé conformia sunt æquitati, & veritati Canonicæ. Et ad illud, quod allegatur à dicto Don Francisco, contra testimonium Collegij Maioris Conchen. sufficientér respondetur à Don Bernardino allegatione ducta ex attestatione Doctorum in hac præcipue re, melioris fidei; & literaturæ. Attento vlterius, quod ætas non solum probatur instrumentis, & documentis, verùm, & testibus, & pro parte dicti Don Bernardini testium omni exceptione maiorum numerosa copia extat in processu, quibus cum nihil obiectum; neque oppositum sit à dicto Don Francisco relevans, nec ratione dictorum, nec personarum, concludentissimis, & evidentissimis rationibus remanet probata dicta ætas, etiam in superfluo, cum non deficiant testes deponentes de ætate dicti Don Bernardini, depositionis ratione ex aspectu sumpta. Nec in exclusionem harum probationum conferunt testes pro dicto Don Francisco declarantes metu censuræ in exclusionem probationum Don Bernardini. Et primo testes affirmātes patrem dicti Don Bernardini antecedenter ad electionem fassum fuisse dictum Don Bernardinum viginti octo annos habere, convincuntur declaratione ad instantiam dicti Don Francisci à patre suo medio iuramento elicita, cui tamquam vltimæ, iuratæ, & ad illius instantiam factæ standū est. Alij vero declarantes partim carent ætate ad illius legitimam

probationem requisita; partim sunt singulares, & vagi inter se non cohærentes, & inverisimilia affirmantes; & testibus pro dicto Don Bernardino deponentibus, & declarantibus, vt vincant declarationes testium in favorem dicti Don Francisci, favent primæ regulæ elementares, quæ iure servandæ sunt in concursu probationum quoad effectum, vt aliæ alias excludant, & vincant. Attento deinde, quod Doctor Don Franciscus Parra Zamorano, Ecclesiæ Almeriæ Canonicus similiter ad suæ ætatis verificationem partitam Baptismatis coram dicto Domino Vicario Generali exhibuit ex qua liquido constat natum die sexto Novembris, anni millesimi sexcentesimi trigesimi octavi, quæ partita prævia petitione oblata coram Domino Officiali, & Vicario Generali Sanctæ Ecclesiæ Gienen. & ipsius authoritate, & præsentia interessentibus fuit extracta à libro Baptismatum Ecclesiæ Pegasajar, vbi dictus Don Franciscus oriundus, & cum ipsa reperiatur omnibus à iure desideratis, & etiam cunctis vallata solemnitatibus præcisê de eius ætate apparet, nec obstat, quod pro parte dicti Don Bernardini Campero contenditur, huiusmodi, scilicet, fidem Baptismalem absque ipsius citatione, & iniunctione fuisse levatam, & sic defectum præfatum efficere, vt nulla fides illi adhiberi valeat; cum à iure necessaria sit partis citatio, & mandatum pariter Iudicis compulsoriũ, adeo vt Iudex dictis solemnitatibus deficientibus teneatur simile instrumentum repellere ex officio, vtpote fide, & legalitate carens. Sed hæc non sunt tanti momenti, vt sufficiant ad adimendam fidem partitæ prædictæ à Don Francisco exhibitæ, nam quidquid sit, an hoc iuris placitum verificetur in dicta specie, nequit dubitari dictam prætensam nullitatem non esse ipso iure contingentem, sed solum locum habere quando pars in allegationibus facti, & non iuris, dictum defectum citationis opponit, ita vt Iudex non posit illum allegare, & sic pro vtilitate eius, & alterius qui produxit instrumentum ob non factam oppositionem inducitur tacita recognitio, & aprobatio. Vnde deducitur ob non oppositionem dicti Don Bernardini tacité dictæ exhibitioni acquievisse, & omnia cõtenta in dicta partita aprobasse. Nec etiam facit, quod à dicto Don Bernardino allegatur saltim generalitêr in allegatione

facti

facti oppositum esse defectũ citationis, & iniunctionis; quia in processu non constat de simili generali oppositione, prout constare debet, & etiam si constaret, non sufficeret, quia requiritur specifica, quippè alia generalis est solum iuris præservativa. Tùm attēto, quod ex probationibus simul iunctis, illarumque connectione, & concordantia resultat evidentissima probatio legalitatis, & fidei partitæ Baptismatis dicti Don Bernardini, eiusque legitimæ ætatis, cum mens ipsa percipere nequeat tot testes, instrumenta, & probationes in vnã falsitatem conspirasse; ponderando maximé vt dictum est, quod erat incerta vacatio Canonicatus, & oppositio Don Bernardini, atque etiam electio de eo facienda, & sic eo magis est inverisimile, quod pro re omnino incerta tot fuissent fabricatæ falsitates, præveniendo futurum eventum totalitèr incertum. Et sic non obstat quod dicitur aliquo falsitatis vitio laborare partitam, & quod suspicio falsitatis habetur pro falsitate; quia ea prorsus excluditur, non solum ex coniecturis, & præsumptionibus ex facto resultantibus; sed etiam ex instrumentis, & tot testibus adductis, cum fides instrumentorum confirmetur, & roboretur ex aliis instrumentis, & probationibus in lite exhibitis, quæ quidem faciunt cessare omnem falsi suspicionem, qua ratione necessario concludendum est, dictum Don Bernardinum probasse se Baptizatum die vigesimo secundo Februarij, anni millesimi sexcentesimi trigesimi octavi, dictum vero Don Franciscum Parra pauló post nempé, die sexto Novembris eiusdem anni. Quibus sic constitutis non est necessarium recurrere ad allegationem dicti Don Bernardini intendentis se potiorem dicto Don Frãcisco, quia oriundum dictæ Civitatis Carthaginen. & etiam peculiari ratione consulto indagationem istius allegationis ommittimus, supposita declaratione Capitulari, qua exprimitur, vt maior natu remaneat in Canonicum electus, cui licét aliqua ambiguitate non videtur dissentire dictus Don Bernardinus. Idcircó, & aliàs pronuntiamus, sententiamus, & declaramus, Doctorem Don Bernardinum Garcia Campero, Collegij Maioris Conchen. Collegam, Liberalium Artium Moderatorem Salmanticæ concludentèr, & legitimè probasse se natum maiorem dicto Doctore Don Francisco

Parra

Parra Zamorano, Sanctæ Ecclesiæ Almeriæ Canonico; & sic in vim declarationis Capitularis factæ per Illustres Decanũ, & Canonicos Sanctæ Ecclesiæ Carthaginen. remanere electum in Canonicum Magistralem Theologalem, seu Lectoralem dictæ Sanctæ Ecclesiæ, & vti talem mittendum fore; & esse, prout eum præsenti mitti iuvemus in veram actualem, & realem possessionem dicti Canonicatus eum omnium iurium plenitudine. Non obstantibus in contrarium deductis, & allegatis à dicto Doctore Don Francisco Parra Zamorano; & neutram in expensis condemnamus. Quod pronunciamus, & declaramus, non solum præmisso, sed omni meliori modo quo possumus.

Vt. Doct. Falcô, Delegatus.

Lata, lecta, & publicata fuit huiusmodi Sententia per me Antonium de Herrera, Notarium Valentinũ, & Apostolicũ, ac Scribam Maiorem Curiæ Ecclesiasticæ Valentinæ, & actuarium prædictæ causæ de mandato dicti Domini Iudicis delegati in quadam aula suæ habitationis sitæ in Palatio Archiepiscopali Valentino, die quarto Februarij, anni millesimi sexcentesimi septuagesimi secundi pulsata decima ante meridiem, præsentibus, & instantibus Doctore Don Francisco Parra Zamorano, Presbytero, Canonico Almeriæ; & Antonio Moron, Notario, Procuratore Doctoris Don Bernardini Garcia Campero, Presbyteri, Collega Collegij Maioris de Cuenca Salmanticæ; & dictus Doctor, & Canonicus Don Franciscus Parra immediatè dixit, quod pro nunc appellabat in voce à prædicta Sententia. Præsentibus ad omnia prædicta pro testibus Ioanne Baptista Serra, Presbytero; Ioanne Baptista Lança, Clerico; Iosepho de Herrera, Notario Apostolico; & Melchiore Morales, Notario Valentino, omnibus Notarijs Apostolicis; & alijs quam plurimis in multitudine copiosa.

R. Antonius de Herrera, Not. Scriba.